



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna XI. Paupertas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

Prælatu hujus creaturæ tuæ: ille moveat sensus, ille potentias, & opera mea: ille sit auctor laborum & quietis meæ: ille me doceat ire & manere, ubi, & quocunque tibi sciet placere. Ardeat in corde meo, regnet in me: affligat, humiliet, eleuet me: consumat in me omnes imperfectiones: constringat interiora mea, extendat angustias meas, eleuet spiritum depressum, & impleat totam capacitatem meam. O divine amor, totum me posside, & abjice me quocunque vis, merge me in mari quarumlibet ærumnarum, continue me tormentis continuis: quia tecum & in te non possum perire. Audi me, amor divine, & quia magis hoc ipse cupis, quam ego possim desiderare, ita me transforma in te, ut non me agnoscam, nec reperiam amplius, nisi in te.

O Mater DEI purissima, obedientissima Domina, & Imperatrix humillima tui Unigeniti Filii ac DEI, compatere lapsibus inobedientia & superbia meæ. Obtine mihi ab ipso, ut semper faciam ejus ac tuam voluntatem, & ei totus subjiciar.

O Curia cælestis, qui regnatis in perfectissima obedientia, solvite vincula animæ meæ in libertatem, in qua degitis; & impetrate mihi remedium, ut exiens à me ipso maneam semper subiectus voluntati ejus Domini, quem vos videtis & adoratis in sæcula. Amen.

ÆRUMNA XI.

Paupertas.

I.

*IESVS
omnia
prius exer-
cuit, quæ
postea do-
cuit.*



*Auctoritas
comparan-
da bonis
exemplis.*

Via S. Lucas scribit cœpisse JESUM facere & docere, non temere cogitamus, quamcunque perfectionem ultimo triennio docuit, prius exercuisse copiosissime triginta prioribus annis, ad exemplum eorum, qui alios docent. Nam verba sine operibus citò evanescent in animis auditorum, sed in memoria DEI manent ad condemnationem docentium: juncta verò bonis operibus, pondus apud homines habent, & meritum apud Deum ac gloriam. Ideo Dominus, licet per se dignus esset omni fide, nihilominus totis 30. annis exercere voluit, quæ tribus erat docturus. Ex quo etiam id intelligas, quam parùm æstimationis mereantur, qui auctoritatem non quærunt exemplis

emplis bonæ vitæ, sed qualitate suæ personæ: quo, cùm arrogant sibi, quod soli Deo convenit, merentur, ut etiam vilipendatur eorum personā: quod etsi fortè in publico non fiat, parum tamen affert solatii reputatio externa, cùm reprehendat eos propria conscientia. Igitur ex iis, quæ docuit ultimis annis, cognoscemus aliquo modo, quæ in prioribus egerit, partim amore virtutis, partim zelo Paterni honoris, & nostræ salutis, quam summè quærebat. Cùm itaque sermo, quem habuit in monte, contineat totam ejus doctrinam, idèmq; incipiat à præconio paupertatis, tanquam primum locum obtinentis in perfectione evangelica, & gloria regni cælorum, colligimus meritò, quantum eam dilexerit, utpote clarissimam sociam ejus vitæ & mortis, sine omni subsidio contra molestias, quas illa secum adducit.

II. Præcipuas ergo gratias ei debemus, quòd dignatus fuerit nostrā causā fieri pauper. Nam elegit locum, quo nasceretur, pauperrimum, & eum non proprium; Matrem inopem, nutritium fabrum; à quibus primò agnosceretur, pastores; ut pauper, est in templo præsentatus. Ultimo triennio non habuit, ubi caput reclinaret, pauperior vulpibus & aviculis, quæ foveas & nidòs habent. Discipuli ejus vellebant spicas ad famem sedandam: in penu (id est, paupere sporta) pro se & omnibus discipulis habuit quondam quinque panes hordeaceos, ac duos pisces. Ibat sine pera & sacculo. Discipulos allegit pauperes, & volentes eum sequi, jussit omnia sua dare pauperibus. Veste una inconsutili ex lana alba, & alio vestimento superiore rudi fuit contentus. Mortuus est nudus in Cruce, ac depositus in alieno sepulchro. Atque ex his extremis ac primis discimus, qualis ejus fuerit media vita 30. annorum. Quantum verò in hac paupertate fuerit ærumnarum & incommodi, intelligunt, qui paupertatem experiuntur in effectum. Victus erat modicus, & parùm sæpe idoneus, qualem labore manuum parùm lucroso, comparabant ejus parentes cum ipso, magis orationi & rebus divinis, quàm vitæ commodis intenti, in quibus reponebant suas divitias. Quin Rex universorum in hoc exilio ne ipsam quidem vitam, & corpus retinuit sibi, totum se pro nobis exponens.

*Paupertas
Domini
I. su.*

R

III. Non

*Paupertas
maximi ad
perfectio-
nem est
momenti.*

III. Non utique Dominus noster tanta nobis exempla paupertatis dedisset, nisi maximi esset ea momenti ad perfectionem Christianam. Nam suam doctrinam præcipuè referebat eò, ut accenderet nos amore puro eorum, ad quæ nos sumus creati: quia in illo consistebat emendatio malorum nostrorum, quæ omnia demum resolvuntur in oblivionem & incuriam æternorum, & in affectum temporalium: quo captum cor hominis, neque credit, neque sperat altiora ac divina, neque amorem in ea vertit, quæ sola merentur amari. Unde anima separata à veris, & propriè sibi convenientibus bonis, tantò magis inhiat terrenis, quibus corrumpitur, quantò minùs potest satiari per illa, per quæ etiam magis magisque divina fastidit; ut ea demum neque gustet, nec æstimet. Ita malum oritur ex malo, amore diviso per multa minime sufficientia; cùm unum sit necessarium, ad quod anima totum suum amorem colligens, quo solo satiari potest abundantissime, liberatur à malis, quæ afferebat ei divisio: & sic instaurantur omnia damna interiora, ac purificatur spiritus communicatione divinorum bonorum, ad quæ fuit creatus. Cùm igitur lucrum ac damnum animæ consistat in amore unito vel disperso; Paupertas est, quæ purgat eam omni affectu terreno, ac disponit ad recipiendas divitias amoris divini, dum retrahit eam à multitudine rerum nihil ei profuturarum. Ideo Christus, qui venit in terram mittere ignem hunc amoris divini, quem optabat vehementer accendi, primas dedit Paupertati, velut proprio ministro & executori consiliorum ac destinationum suarum. Cui etiam perfectissimis exemplis, & gravissimis adhortationibus, studuit apud nos auctoritatem creare, & accessum parare ad animos nostros, dicendo; *Nolite solliciti esse, &c. Beati pauperes spiritu, &c.* Hanc S. Augustinus Humilitatem vocavit, quia destruit superbiam nostram, quæ confidimus in rebus terrenis, & incidimus in quævis peccata: & ait compleri primo dono Spiritus Sancti, quod est donum timoris filialis, caventis, ne unquam separetur à DEO, per affectum rei ipsi adversæ; ideòque animum semper purgat ac retrahit à terrenis.

IV. In hoc fundatæ sunt Religiones, quarum omnium unus est finis, modus in usu rerum diversus. Ecclesia præfert eas, quæ strictiorem profitentur; quia judicat opulentiores in amore divino,

divino magisque idoneas ad ejus conservationem. Sanè speculum Veritatis æternæ, in quo sunt reclusi omnes thesauri divinarum bonorum, quæ desiderare possumus & capere, veniens ad nos, ut esset nobis vicinior ac tractabilior, omnino fuit inops in vita & morte, ut nihil in eo videremus, nisi ipsum, neque aliud quæreremus in ipso: sicut & ille nihil aliud spectavit & quæsivit, quàm nos & cor nostrum, ut meritò alia omnia judicemus indigna nostro amore. Unde reipsa Paupertas Spiritûs est immunitas ab affectu rerum vilium, & nullius pretii, ut divites simus ejus, quæ à nemine satis potest æstimari. Hinc Sancti illuminati à Deo, se in copia rerum terrenarum judicabant egenos, divites autem in earum penuria; quia videlicet nulla earum tanta est, ut satisfaciat cordi nostro (etiamsi omnes in unum cumulum convenirent) sicut ea, quæ possidentur in Deo. Quare paupertas Spiritûs magis abundantia dicenda esset, quàm paupertas: sed Christus nomine hominibus noto est usus, ut posset intelligi. Experientia generalis est, quòd nullus putet facere se multum, nisi, qui ad nihil faciendum est aptus: & qui ad multum faciendum est aptus, putet se facere parum. Ita liberalis putat semper se dare parum, avarus multum: gulosus miratur, unius diei jejunio se non mori: cholericus, si eum, à quo est læsus, non perimat: prodigus, se Jobo plus pati, si uno die careat pecunia ad ludendum: ita pauper spiritu putat se prodigum esse, cum rebus modicis utitur ad necessitatem: patiens iracundum, si sensum in se notet illatæ injuriæ: temperans gulosum, si quando non jejuset. Idem fit in aliis rebus, de quibus judicamus ex nobis, quasi essent eodem modo in Sanctis. Miramur paupertatem sancti Francisci, cum tenemur affectu temporalium: qui verò gustârunt ejus spiritualem dulcedinem, mirantur, eum retinuisse etiam hos pannos, quibus se tegebat. Sic ergo de spiritu paupertate judicamus adhuc affecti rebus terrenis, quasi foret inopia, & sic eam appetimus: posteaquam verò nos possedit amor divinus, in ea reperimus divitias spiritûs.

V. Duo sunt in Ecclesia status pauperum: primus eorum, qui in affluentia rerum, liberum habent ab eis affectum. Secundus per votum se abdicat rebus terrenis, ut liberè Deo possit vacare.

*Paupertas
spiritûs est
libertas ab
affectu re-
rum vilium.*

*Duo status
pauperum.*

*Avarus
pejor prodigioso.*

care. Porrò Deus meritò puait eos, qui rebus terrenis abutuntur ad peccata, quibus oportuit ad virtutem & merita: unde etiam nostram infirmitatem agnoscens, non dat ferè majorem copiam rerum, quàm sit opus ad sustentationem & occasionem meritorum in cælo: qua de causa permittit etiam, ut multi sint pauperes, quorum miseratione divites adjuventur. Fecit tamen, ut inter eos essent viri valde perfecti, sicut in quolibet statu Ecclesiæ; ne, qui perfectionem profitentur, se efferant, néve alii haberent excusationem. Sic Abraham excelluit obedientiâ, Susanna castitate, Job paupertate in mediis opibus & conjugio. Duo verò extrema sunt eis vitanda, qui sunt in primo statu, prodigalitas & avaritia: sed hæc illà videtur peior multis nominibus. Prodigus enim benefacit & satisfacit multis; avarus nec sibi. Prodigus non sic adhæret divitiis, ut avarus, sed aliis vitiis, quibus sine dubio indulgeret etiam avarus, propter quæ ille opes profundit, si posset sine expensis. Prodigus facit multos amicos, & utitur suis fortunis; avarus semper est miser, & sine amico. Prodigus emendatur faciliùs, cum instrumenta cupiditatum defecerint; avarus nunquam fit satur: ac si velit ad DEUM converti, magnum impedimentum habet à rebus terrenis, quibus prodigus caret: unde & Evangelico illi pauperies fuit stimulus ad pœnitentiâ; ille verò, qui multas habebat opes, à Domino abiit mœrens. Qui in secundo statu sunt, meminerint, suas divitias esse pauperem JESUM: hic iis, qui toto corde renunciant, omnibus est liber scriptus intus & foris, in quo legunt hanc puram veritatem: sed iis, qui non toto corde id faciunt, est liber clausus & obsignatus septem sigillis, ut ab eis legi & agnosci non possit: unde sic turbantur, negatâ vel ablatâ eis re modicâ, ad quam afficiuntur, sicut avarus amisso thesauro; tantò remotiores à puritate amoris divini, quòtò minùs fideles in modico. Sanè, qui non est deditus orationi, & familiaritati cum DEO, non potest esse verè pauper spiritu: quia illa hominem separat à terrenis, & amorem divinum purificat. Et quamvis conscientia suâ satisfaciant, omnem proprietatem vitando, non tamen perveniunt ad perfectionem hujus virtutis heroicæ, neque gaudent ejus divitiis, nisi agant familiariter.

*Spiritu
pauper non
est, qui orationis non
studet.*

miliariter cum eo, qui suâ præsentia consumit ac destruit omnes affectus terrenos. Et illi quidem, qui sunt verè pauperes spiritu, ædificant in auro, argento, & lapidibus pretiosis; cæteri verò in fœno & stipula: salvi erunt ambo, sed hi posteriores quasi per ignem, & sicut ij, qui evadunt ex magno incendio. Nam uniuscuiusque opus ignis probabit, & omnia terrena consumenda sunt igni, sive divini amoris, sive iudicii. Præterit figura hujus mundi: felix, qui sua lucra collocavit in tuto, ubi consumi non possunt.

EXERCITIUM

Circæ Paupertatem Domini J E S U.

I.

THesauri divitiarum cælestium, & æternæ gloriæ, abundantia perfecta omnium, qui te desiderant, J E S U, D E U S meus, IESVS nostra divinitas. Rex meus, & omnipotens Dominus meus, unicum bonum meum & omnis magnitudo mea! cognoscat te cor meum: & intelligat Spiritus meus lumine tuo divina desideria hujus æterni amoris, quem erga me geris. Fac, Domine, ut amem, quod mihi das intelligere, ut conformato corde meo cum tuo, vivas in me, & ego in te. Infinitas tibi gratias ago, quòd velis esse totum bonum meum, & tota mea ditissima felicitas. In te habeo omnia securè; quia tam altus es, ut nihil mali possit ad te accedere; tam potens, ut nihil tibi deesse; tam dives, ut nulla inopia, nec miseria inveniatur in te. Habes multò plus, quàm ego possim intelligere: promittis plus quàm possim desiderare: & in omnibus multò major es, quàm ego possim comprehendere; & in te, in quo se anima mea potest dilatari & saturare, ita reposuisti perfectam felicitatem meam, ut extra te nihil reperiam, nisi miseras. Si ergo tu, Domine, ita vis, quomodo possum ego aliter velle? Accepto, Domine, hunc tantum & incomparabilem favorem: doce me tu illum desiderare, amare ac possidere: separa cor meum ab omni re terrena: spolia sensus meos gustu omnium, quæ me non elevant, & uniunt tecum. Libera spiritum meum à vilitatibus, quæ hactenus tenuerunt eum captivum: perfice capacitatem hujus animæ, quam ad tuam mensuram fecisti, ut tu sis in me, quod esse vis: & ego ad te solum aspirem,

R 3

spirem,

spirem, qui es totum bonum meum; te solum amplectar. O unicum & grande bonum meum! ô quàm securum, quàm infinitum, quàm sublime ac verum bonum! Totus es meus, quia nihil tui mihi negas: magnum, quia divinum bonum es: bonum, quia fons bonitatis, tam meum proprium, ut nullo jure, nulla ratione, nulla vi mihi possis adimi, nisi ipse voluerò. Consumatur anima mea tota in te: convertantur omnia interiora mea in te: occupentur omnes vires meæ in te, quia non possum velle majus bonum, nec invenire ullum bonum, quod mihi imaginer extra te. Altas radices agat in me, Deus meus, amor tuus, ne me pondus carnis sejungat à te; nec rapiat me ad se venenosus torrens rerum hujus miserabilis vitæ, ne me invadat, ac tuo amore privet ullus affectus terrenus; & quia tu es totum bonum meum, nihil amplius mihi deest, quàm ut defendar ab omni eo, quod sejungit à te.

*IESVS ideo
nudus &
inops fuit,*

1 I. Infinitas tibi gratias ago, Deus meus, quòd, ut liberares me ab omni eo, quo possem separari à te, nihil volueris in hac vita habere proprium; ut, cùm te aspicerem, non aliud viderem, quàm te solum, cui debeo totum cor meum, & qui solus mereris amorem hujus animæ. Quidquid in cælo ac terra, tuum est; omnia moventur ac reguntur tuo nutu & imperio: non potes dimittere dominium; & si in hac vita convertisses omnia in tua servitia, non esses ideo ditior; nec ego potuissem inde sumere exemplum, nisi appetendi multa terrena; & tamen appeterem aliena, quia tu fuisses dominus omnium. Sed tu noluisti uti illis, quibus justissimè uti poteras, tanquam propriis, ne mea cæcitas deciperetur in te. Natus es nudus, vitam duxisti in summa inopia, & nudus es mortuus: sponte renunciasti omnibus, quæ tua erant, ut viveres in paupertate sine ullo bono temporali; adeò, ut nec lapidem haberes, in quem reclinares caput; nec linamentum, in quo sepelireris. Si deesset victus, tolerabas, ut pauper; si præberetur, gratias agebas, ut pauper. Ex inopia incedebas nudis pedibus; si non daretur eleemosyna, non querulabaris: demum ad pedes Crucis spoliatus es vestibus, quæ mox aliorum præda fuerunt. In cruce pependisti cum patientia sine refocillatione: derelictus fuisti sine lamentatione, quasi qui nihil habuit proprium. O mi pauper Jesu,
adeò-

*Ut apud e-
um nihil
præter
ipsum*

adeone tibi defunt omnia, cum tua sit terra! An ideo deficiunt omnia, ut ego nihil inveniam in te, cui assimiler, nisi te ipsum? *queramus:*
 Hanc humanitatem inopem omnium relinquis mihi, plenam divitiis tuæ divinitatis, ô Fili Dei vivi, & vere fili Adæ! & nihil amplius, quam naturam tuam & meam; ut in hac unione & amore puro, sine mixtura rei terrenæ vivam in te ac de te. Adoro te unicum Bonum meum; adoro te perfectum Bonum meum, & mea singularis Opulentia.

III. Ah Domine mi, miserere mei! compatere, Domine, *quia prater*
 vilitati meæ, ut teneam te separatim ab omni re, & me totum tibi impendam. Sed ego miser dimitto te, & submitto me his, quæ *ipsum nihil*
 tu abjicis. Insatiabili fame curro ad fimetum, cogitans me inventurum satietatem extra te, & quasi canis semper ad pejora revertor. *sufficit nobis,*
 Quid boni potest mihi dare bona tractatio corporis, quam tu recusasti? favor hominum, quem tu spreveristi? copia temporalium, cui tu renunciasti? occupationes terrenæ & alia omnia, quibus tu voluisti carere? Tu, Domine, cui debebantur omnia, & cui nihil poterat nocere, meliorem judicasti penuriam abundantia, & hoc tantum amore mei: & ego in earum rerum defectu duco me infelicem, beatum autem in abundantia earum sine te. Heu quam cæcus & miser sum! Me temporalia dementant & opes affecto, quæ adimunt mihi amorem, quem debeo tibi: faciunt me egenum tui, tuorumque purissimorum ac divinorum bonorum: deturbant me ad spurcissima, & nihilominus, quando mihi defunt, me judico pauperem; divitem verò, cum affluunt. O bone JESU, hæc est causa, cur te non possim amare, nec æstimare; quod amorem & æstimationem convertam in res, quas tu nolui habere. Si nihil eorum, quæ amo, apud te est, quomodo in iis te reperiam? O Bonitas infinita, quæ non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, quid possum facere sine te? Tu non voluisti pauper esse, ut aliquid mihi desit in te, sed ut sciam, *sed officia*
 me sine te divitem esse non posse. Et hoc ipsum quod tu vis, in *magis.*
 me facere debet tua paupertas. Tu vides, quod cum aliquid ex terra possideo cum affectu, vel cum desiderio inordinato procuro, ibi detineam meum intellectum, illo delecter, eò ferant me cogitationes,

gitationes, & quietem non habeam: ac dum verfor in his, tui non meminerim; non possim orare in Spiritu & veritate; obli-
 scar obligationis te amandi; recusem accipere bona spiritualia,
 quæ mihi dare cupis; & quod sine pudore confiteri non debeo
 coram oculis tuis, sic imbuatur appetitus meus re quacunque,
 magnâ vel parvâ coram mundo, ut, cùm volo tui recordari, me
 inveniam captum meis miseriis, & talem, ut oculos ad cælum
 levare non audeam. Una res nihili me capit, ut puerum: feror
 desideriis velut agrotus, & quælibet oblectatiuncula me afficit,
 nescio quomodo: quia tales sunt meæ miseriæ, ut nec habeant no-
 men, nec substantiam, nec aliud sit in eis, quàm virus ad me necan-
 dum, catenæ ad me vincendum, funes ad ligandum, & ad nescio
 quomodo abstrahendum à te: & quod pejus est, intricatus his re-
 bus, non video peccata, tentationes, inquietudines vitæ, quas in-
 currens non sentio, nisi quando me reperio perditum, & absque
 viribus. Tu Domine, vides & consideras; qui solus potes mederi.
 O pauper JESU, Redemptor mi, miserere hujus paupertatis meæ.
 Hæc est, quam non vis me habere: hæc est, quam horres, quia per
 eam te perdo. Fateor me non esse nudatum omnibus, ut oportet:
 sed qualiscunque sum, me ad tuos pedes abjicio: solve meas
 catenas, rumpe laqueos terrenorum affectuum: da mihi Spiritum
 fortem & horrorem omnium, quæ reculasti in hac vita: recollige
 in te omnes cogitationes meas; quia tu es verus Medicus animæ
 meæ.

*Iesus nihil
 cupit, nisi
 cor nostrum.*

IV. Divina Lux, ac dives Bonitas pauperis animæ meæ,
 audi eam, Domine, & responde illi interiùs. Loquere mihi æter-
 num DEI Verbum, & instrue meum desiderium, quod vis, ut pe-
 tam à te. Forsan, Domine quia nulla res tibi placet, ac tantope-
 re diligis inopiam omnium rerum, etiam respicis cor meum, ut
 terrenorum nihil penitus habeas? Ah cor mei cordis! Ah anima
 animæ meæ, & Vita vitæ meæ! cor meum hoc negat, nec mihi di-
 ceeret, nisi tu id ipsum doceres. Omnia alia vis à te abesse, tan-
 tum ut mecum sis. Fis Pauper, ut cor meum suppleat defectum
 omnium: cùm tibi defuerint omnia, vis tu sustentari de me, vestiri
 de me, quiescere in me, & me solo contentus es in penuria omni-
 um.

am. Ideo pauper es, ut quodvis cor egenum cogitet, se posse te recipere. Veni, ó bone Jesu, veni mi paupercule! reclina caput in hoc paupere corde, recipe te in nidulum hujus meæ pauperis animæ. Non dicas amplius, te non habere, quò te recipias, posteaquam me habes. Recordare, Domine, quòd, quando pauper degebas in hoc mundo, Matthæus Publicanus te invitavit ad manducandum cum peccatoribus, egentibus tuorum bonorum, sicut ego sum; & tu fueris contentus illis, nihil curans murmura magnatum & divitum, qui te taxabant. Desiderabat quondam Zachæus peccator te videre; tu, ut ei cumulatè satisfaceres, te ultrò invitasti in domum ejus, & ei contulisti salutem. Magdalena te quondam quaesivit in aliena domo, ubi sanctificata est; & tu postea domum ejus frequentasti tanquam tuam. Cùm nihil velles habere, vocasti omnes oneratos & afflictos, & qui erant longè à te; & promisisti, te illos velle reficere. Tantùm desideras amari à cordibus nostris, de cetero carens aliis omnibus. Quid ergo, Domine, me detinet, quid impedit, ne habeam locum prope te?

Ego quidem non sum dignus, ut intres in hanc animam, *Iesus amari* sed tu non obstante meâ vilitate me vocasti. Et cùm diceres, in *omne genus* Cruce te omnia tracturum ad te, me non excepisti. Quia ergo, *pauperum.* Domine, non minùs sum tuus, quàm isti omnes, utpote magis debilis ac cæcus, qui nesciam, quò, vel quâ mihi eundum sit; veni tu in hanc animam, quæ te desiderat, & si ulla alia, pauper & misera est. Ah Domine, verum Bonum meum! vide, quòd nullum unquam genus pauperum despexeris. Natus es in sancta paupertate: voluisti pauper mori in Cruce: elegisti pauperes & simplices pastores, discipulos imperfectos ac pauperes: vocasti peccatores, & spiritualiter attraxisti: inter duos latrones pauperrimos voluisti vitam finire. Omnis pauperies tibi placuit, sive ad exercendum, sive ad medendum ac ditandum. Quomodo ergo excludar ego, pauperior latronibus? pro te pauper sum satis, ó bone Jesu! & habeo justam actionem pro tua societate. Recipe me, pauper Domine, in socium: habes in me, quod sanes, quod dites. Posside animam meam; ut ipsa te amet, & tu glorificeris in me.

S

V. O mñ

Paupertas
est excellen-
tiss.

V. O mi pauper Domine, mi pauper Salvator! video te pauperem, & nescio, quid sentiat cor hoc pauper, ut nequeam separari à te. Nescio, quam magnitudinem video in ista tua pauperie. Adoro te quantum possum: da mihi amare te, quantum debeo. Totum id, quo indiges, depauperat animas, quæ inordinato affectu id possident; qui verò despiciunt & abjiciunt, eos tu consolari ac ditas. Animæ tuorum pauperum plenæ sunt luce accensæ à te: plenæ sapientiâ, magistro tuo spiritu: plenæ bonis divinis, quæ dici & æstimari non possunt: sunt contentissimæ sine ulla cogitatione turbante, in perpetua quiete & pace: constitutæ in terra versantur in cælo, & in corpore luteo degunt vitam Angelicam. Hi pauperes habent eum gustum & satisfactionem, quam cæci sæculares quærunt, nec inveniunt: sunt omnium Domini, cum nihil habeant. Ipsi soli inter miseras terrenas cognoscunt sublimitatem animi, & ea gaudent: tanquam propriâ utuntur potestate contra quosvis inimicos; & cum in oculis mundi sint vilissimi vermes, in tuis divinis sunt Principes ac domini; contemnunt ea, quæ æstimat mundus, à quo ipsi spernuntur. Semper fruuntur tuis epulis spiritualibus, nec volunt aliam escam in mundo, quam cælestem.

O quando, bone JESU, procul ab omni voluptate, dives in te, & immerfus pelago divitiarum tuarum, dicam tibi: Pater mi, divitiæ meæ, sarietas mea, felicitas mea! Tu quidem semper hoc es, at ego id sentio tantum, quando tu vis; quando tangis interioribus hanc animam, & elevas eam supra tenebras rerum terrenarum, & consumis omnia desideria ex illis oborta. O quantum tunc differt cognitio cordis mei, cum te cognoscendo, amando ac desiderando dicit: Deus meus, amor meus, divitiæ meæ, confortatio mea, & omnis voluptas mea! quia tunc gustat te, ut rem suam, nec aliud habet in corde. Discede à me, terra: dimittite me terrenæ & viles cogitationes: procul à me amici, cogitationes, desideria, & miseriæ terrenæ: finite me complecti meum pauperem JESUM. O JESU mi, ô mi JESU, ô JESU mi, ô amor mi!

VI. In te, bone JESU, collocavi spem meam; quia tu meus es, ac tota fortitudo mea: in te confido, in te amitto omnem timorem, nec potero unquam confundi, aut erubescere, quòd te amave-

amaverim, tibi crediderim, & omnia pro te reliquerim. Quia si omnia confurgant in me, tu defendes me. Tua Bonitas, quæ amat paupertatem spiritus, eaque me dirat, liberabit me ab omni malo, languore ac perturbatione.

*Et fiducia
in Domino
IESU.*

Audi, Domine, cordis mei voces, præbe aures desideriiis animæ te amantis: accelera, ut eruas me ab his, quæ me sejungunt à te, & ab omnibus fallaciis mundi. Ad te convertor, te eligo pro meo summo thesauro. Confunde tu omnes, qui volunt obscurare hanc lucem, ut me abstrahant à te, & has divitias mihi eripiant. Ego tu Deus meus, sicuti jam es, nec siras me aliud amare affectu, quem debeo tibi soli, Deus meus. Sis tu protectio mea, ut es; nec permitte, ut spem reponam in alio. Sis tu defensio mea, refugium meum, salus mea: quia tu, Domine, solus habes potentiam pro omnire, quandoquidem in te sita est omnis bonitas, omnis copia, omnis fortitudo mea. Cùm jubes, ut velim te sequi, ac dimittere omnia tui amore, bene scis debilitatem meam: & propterea tunc obligas te, ut sis fortitudo mea, ut sis refugium meum in omnibus necessitatibus: obligas te, ut non attendas merita mea, sed magnitudinem Nominis tui, bonitatis tuæ, & misericordiæ tuæ, ut deducas & enutrias me juxta beneplacitum tuum, non juxta meritum meum. O Bone JESU, vivo securè in his brachiis, in hoc amore, quo me portas, quo educis infirmitatem meam à laqueis, quos absconderunt mihi inimici mei; quo non constituisti te protectorem meum, nisi, ut non timeat caro mea, cùm debilitatur ex paupertate & inopia; neque ab infirmitate, cùm despero, posse necessitati occurrere; neque à mundo, cùm ab eo contemnor, ut insipiens, quòd sequar te; neque à dæmone, cùm tentat me variis modis. Vis, ut amando & imitando te, vivam securus in te, qui gratiam das ad omnia, quæ præcipis, & omnipotens es ad metuendum.

Ergo, Domine Deus meus, cum omnibus meis miseriis, peccatis & infirmitatibus, & cum bonis desideriiis, quæ mihi das, projicio me in hæc paterna brachia; & in has manus, quæ me formant, depono spiritum meum, quem ad imaginem & similitudinem tuam fecisti. Reforma eum tu sapientiâ tuâ, & veritate tuâ,

S. 2.

quam

quam docuisti me, & mundus non capit. Da ut eam intelligam, sicut oportet; fac, ut eam adamem, sicut tu cupis; & exequar, sicut ordinasti. Non mihi desit hæc manus, sine qua nihil possum, ut eâ juvante pauper ac separatus ab omnibus, quæ à te separant, viyam solùm ex bonis & divitiis spiritualibus, quas ipsa continet & impertit.

O sanctissima DEI Mater, pauperrima imitatrix pauperis JESU, ac ditissima thesauraria donorum ejus! tu non ita es Domina pauperum, ut abjicias peccatores: impetra mihi spiritum, qui per paupertatem tibi contulit tantas divitias. Adjuvate beati Calites hunc pauperulum, ne amet temporalia, sed ut possit vobiscum potiri æternis. Amen.

ÆRUMNA XII.

Ex Austeritate vitæ Domini IESU.

I.

*Paupertatis
pedissequa
Rigor
& Pœnitentia.*



*Dominus
IESUS &
Pœnitentiam*

Ita Paupertatis voluntariæ secum trahit virtutem Pœnitentiæ, & Austeritatem corporis. Sancti, qui fuerunt pauperes spiritu, & qui pauperes etiam corpore, amore DEI renunciârunt bonis temporalibus, ut expedirent se laqueis, quos dæmon & natura tendunt contra istam virtutem: adjunxerunt austeritatem vitæ ac pœnitentiæ; quamvis diverso modo pro suis quisque viribus, ut redigerent corpus in servitutem spiritûs, & refrenarent ejus appetitus; simulque meliùs exercerent odium corporis, quod Christus docuit pro salute animæ. Eadem virtus in perfectissimo gradu comitata est Christum, donec vixit in mundo; qui licet non habuerit causam mortificandi corpus, per omnia semper obedientissimum spiritui nihilominus omnium virtutum, præsertim majoris momenti, exempla perfectissima relinquere voluit, quamvis Majestati personæ suæ minùs congruerent. Cùm enim suscepisset in se onus satis faciendi pro nobis, ut in passione nihil tormentorû refugit, sic in omni vita sua semper misit manum suam ad opera magis dura & laboriosa, quibus affligi posset sua Humanitas. Videbat, ut Redemptor peccatorum, quàm necessaria esset eis pœnitentia; & ideo cùm interna,